



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 124. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat illi. v. 75.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

nita, si in illis temporaliter non deprehendantur, & homines eorum nullatenus nanciscantur memoriam: sed profecto falluntur, uti & Petrus qui Christi verbis æque parum tribuit. at gallus ei veritatem Christi verborum inculcavit, & docuit. Idem faciet & vero sæpe facit nostra conscientia, quæ quibusdam ira cantat & recantat memoriam peccatorum commissorum, ut non valentes tolerare hunc cantum, horrore æterni cantus fugiant peccata & poenitentiam agant de admissis in tempore, Talis erat Iapon ille qui homicidio commisso inquietudinem conscientia tantam passus est ut Indiam peruagaretur donec S. Franciscum Xaverium & per illum salutem repetens Iaponia conuertendæ occasio nem daret.

O Si audiremus, uti Petrus, hunc gallum nostrum cantantem, & recordaremur verborum Christi de terribili examine vitiorum, iudicio extremo, ignibus sempiternis, non ita in abyssum iremus peccatorum, ne dicam ad ima inferni nos præcipitarem. O Iesu, Iesu, Iesu fili David dedisti mihi hoc signum conscientia & remorsus ad poenitendum & fugiendum assignando, gratias tibi pro hoc munere ago agamque, sed insuper peccata & occasiones multo præsentius & præstantius quam S. Petro gallum; deprecor gratiam alteram, ut cantante hoc gallo me peccatorem oculis misericordia cum Petro aspicere digneris, ut non solum audiam monentem; sed & sequar cum Petro vocantem descendendo & poenitendo in omni tempore vitæ omnia peccata mea.

s. 124. *Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat illi. v. 75.*

Felix recordatio per quam sequitur dolor animi de peccatis, Iustitia reducitur, gratia Dei reuocatur: Quis hic non irrumperet in lacrimas cum Petro videndo cordis compunctionem, considerando animi dolorem de offenso Deo & Magistro, lacrimarum fontes uberrimè prorumpentes ex oculis, singultus super singultus, contusiones pectoris, & voces illas diuinitati gratissimas *Vnde, quod, veni? Leuis una mors est virginum culpa.* Ah! quid feci proditor & infidelis seruus? negavi Dominum meum, tam bonum mihi, qui tanto cum affectu me præmonuerat; cur non credidi? præsumpsi nimium & superbus fui. nonne totus demens fui? Ah! quid fui? quid modum? quo ibo nunc, quo fugiam à facie formidinis Domini mei, à facie discipulorum eius, ausimne comparere coram ijs, aut accedere sodalium eorum? pudeat; quid igitur faciam? ibo & me abscondam, ne videat me vilis hominis, ut plangam dolorem meum, & peccata mea, si forte recipiat me Deus, si forte præster mihi misericordiam.

IN hac consternatione mentis quid fecit Petrus? lauit peccata lacrimis, omnibus diebus vitæ suæ pœnituit, & bonis operibus, exemplo virtutis, & prædicatione, & martyrio læsum Christi honorem restaurare studuit:

O si & ego sic plangerem peccata mea, heu nimis graua & multa! Quis mihi det fontes lacrymarum? ut ea defleam noctes & dies, infidum cor meum & rebelle Deo meo. O quid feci? deflete me cœlum & terra luge me omnis creatura, orate pro me omnes sancti & sanctæ Dei cum lugere non possitis, si forte recipiat me Deus, si forte præstet misericordiam misero mihi peccatori, & recipiat me in gratiam, qua excidisse me sero, & sero nimis agnosco.

§. 125. Priusquam gallus cantet ter me negabis. v. 75.

Hæc verba ex eo tempore ita alte animo Petri in fixa fuerunt, ut quemadmodum iij, qui tympani pulsus continenter aliquot diebus audierunt, etiam cum pulsus eius desit, audire sibi nihilominus videantur, ita Petri auribus insonabat vox ista: Priusquam gallus &c. ideoque hæc animo eius paulum liberato ab aliarum rerum intenta cogitatione, occurrebat. Hæc ille corde premebat, hæc verba somnum ei frangebant, illa vigilantem flere cum suspirijs & singultibus faciebant, hæc intellectum, illa memoriam continuo pungebant, non quidem cum desperationis & pusillanimitatis cruciatu, sed dolore permixto cum amore, verecundia, honestate, maxime post apparitionem Christi à morte resuscitati, ex quo tempore mirabilis in S. Petro pietas in Christum increuit, adeo ut is dicatur author esse eius Christianorum ceremoniarum; quod Galli Gallinæ icon in turribus sacrarum ædium collocetur, tanquam super pyramides & columnas Christianas.

O Si & mihi ob oculos quotidie versarentur peccata, quæ ab infantia usque huc perpetravi, & in memoria mea versaretur, uti S. Hieronymo, continuo terribilis illa vocatio: *Venite ad iudicium*, ut me præpararem tempestive ad reddendam de ijs rationem, & nunc delere ea pœnitendo studerem, quam mihi bene foret in extremis. peto igitur ad hoc tam salutare opus tuam gratiam & benedictionem, ô Iesu.

126. §. Et egressus foras. v. 75.

Quia Petrus iam se indignum Christi aspectu ulteriore per recessum ex atrio Pontificis, iudicabat, & ideo ob pudorem sceleris sui oculos eius fugiebat, & alium locum iam quærebat solitarium & accommodatum ad plorandum, qui creditur fuisse spelunca quædam, eodem se contulit, me-